

Pa. 37. num. 5

8

17607.

9. 504.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
 DE
TERTIA SPECIE PROCESSVS,
 MIXTI SC., SEV DENVNCIATORII,
 EIVSQVE INDOLE, ET DIFFERENTIA,
 A
 PROCESSV TAM CIVILI, QVAM
 CRIMINALI.

QVAM,
 IEHOVA ADSISTENTE,
 EX DECRETO,
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,
 IN ACADEMIA PATRIA,
 SVB PRAESIDIO,
 VIRI PRAENOBILISSIMI ATQVE
 CONSVLTISSIMI,
HERMANNI BECKERI,
 L. L. DOCT. ET PROFESSORIS INSTIT. P. O. SENAT. ET
 AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE
 H. T. DECANI,
 FAVORIS ET OLIM PRAECEPTORIS SVI OMNI, QVA
 PAR EST OBSERVANTIA DEVENERANDI,
 PRO
 SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET
 PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME
 CONSEQVENDIS,

MDCCLX. DIE XII. AVGVST.
 H. L. Q. C.
 PVBLICE DEFENDET
 AVCTOR ATQVE RESPONDENS
HENRICVS GEORGIVS HANSEN,
 GVSTRO-MEGAPOLIT.
 L. L. CANDID.



ROSTOCHII,
 TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SER. DVC. AVL. ET ACAD. TYPOG.



DISSERTATIO INVALENTIIS HERNICA

TERTIA SPECIE PROGRESSVS

MIXTI SC. SEV DENUNCIATIONI

INVALENTIIS ET PRAESENTIA

PROGRESSVS TAM CIVILIS QVAM

CRIMINALIS

LEONARDVS STRECHT

ALBERTVS TERTIUS ICTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA PATAVINA

IN PRAESIDIIS

VIRI ERANNOBILITATE ET

CONSTITUTIONE

H. R. M. A. N. N. I. S. C. R. E. T. I.

IN POST. ET PRAESENTIA

A. M. L. I. N. I. S. T. A. B. I. L. I. T. A. T. E.

IN T. D. G. A. N. I.

AVTORIS ET EDITORIS

TAM RESPECTIVANTIA DE

PRO

STIMIS IN VITIOVE

PRIVILEGIIS

CONGREGANDIS


MDCCLXII. DIE VII. AUGUSTI


AVTORIS ET EDITORIS

AVTORIS ET EDITORIS

AVTORIS ET EDITORIS

AVTORIS ET EDITORIS





DISSERTATIO IVRIDICA
INAVGVRALIS,
DE
TERTIA SPECIE PROCESSVS;
MIXTI SCILICET, SEV DENVNTIATORII,
EIVSQVE INDOLE ET DIFFERENTIA
A PROCESSV TAM CIVILI, QVAM
CRIMINALI.

§. I.



A definiendo, quia omnis oritur doctrinae tractatio, necessarium quoque iudico, vt antequam latius de processu mixto, seu denunciatorio differam, deque eius indole et differentia a coeteris speciebus processus meam qualemqualem exponam sententiam, definitio processus praemittenda sit. Idque eo magis, quia quaestio infra explicanda, an mixtus ille processus, separatam quandam speciem constituat, an cum processu aut civili, aut in primis criminali, plane coincidar, et hinc a potiori causa, quae alteram ad se trahit, denominandus maneat, ex rite atque legitime formato processus conceptu decidenda erit. Sumitur autem, sicuti exempla et in cathedra



theda et in foro quotidie obuia docent, vox processus, in sensu vel generali, vel speciali. Et tunc in sensu generali processus pro ipso iudicio, der *Gerichts-Instance*, sumtus, nil aliud est, quam *integra pertractatio legitima causarum controuersarum in iudicio*, seu *complexus actuum per legis dispositionem in cognitione tam, quam decisione causae controuersae publicae, se inuicem excipientium*. Prout autem iudicium in hoc significato acceptum, die *Gerichts-Instance*, sequentia requirit constitutiva, 1) *Subiectum* scilicet, seu personas, iudicium constituentes. 2) *Materiam* siue *Obiectum*, seu causam controuersam, quae in iudicio pertractatur: et denique 3) *Formam* siue *Ordinem externum*, quo pertractio causae controuersae in iudicio fit: ita hicce ordo externus legitimus *processum in sensu speciali* absoluit, et ordo *processus* quoque dicitur, ut eo melius distinguatur a *processu* in sensu generali, atque *in legitimo ordine, modoque consistit, in quo actus iudiciali cognitioni et decisioni causae controuersae inservientes expediuntur, seque inuicem excipiunt*.

*) Hinc vides tam definitionem processus, quam exhibet *b. SCHAUMBURG, in princ. prax. iurid. iudicial. Cap. I. gener. §. 1.* quod sit *modus et ordo legitimus causas controuersas in iudicium deducendi, easque audita prius altera parte, et veritate rei perspecta, per sententiam finiendi*: sicuti et eam, quam sinit *Achat. Ludov. SCHMIDT in instit. iurispr. ecclesiast. Lib. 2. Tit. 1. §. 431.* quod sit *ordo in iure suo auctoritate Magistratus prosequendo obseruandus*; ut et *b. SCHILTERVS ad D. exerc. 13. §. 5.* quod sit *ordo et modus procedendi in iudicio, seu exercendi iudicium tantum ex parte iudicis, quam partium*: solum respicere processum in sensu speciali sumtum, seu ordinem processus. Horum autem virorum celeberrimorum labores diiudicare, nec vires mei ingenii, quod iudico, quam sint exigui, nec instituti ratio permittunt. Sufficit differentes species processus, sicuti infra patebit, non ex solo ordine processus, sed quoque ex indole atque natura obiectorum, seu diuersa causarum controuersarum, quae in iudicium deducuntur, natura, originem ducere, hinc non ex



ex conceptu solum specialiori, sed quoque generali processus
diuiduari debere. Hinc illi, qui diuersas species processus rite
distinguerent, non ad ordinem solum procedendi, sed quoque
ad processum in sensu generali, respiciendum esse. Quae
itaque ratio me quoque in praesenti tractatione mouit, ad utrum-
que significationem vocis rite ante omnia enucleandum.

§. II. *de iudiciali et publica cognitione*

Processus in sensu generali est complexus actuum, qui
ex legis dispositione in iudiciali et publica cognitione et deci-
sione causae controuersae sese inuicem excipiunt, (§. I.) et pro
diuersa indole et natura causarum controuersarum, in illo ob-
uiarum, mox hunc, mox illum ordinem, seu modum, per legis
dispositionem determinatum, requirunt; quo hi actus expedi-
untur (§. eod.). Sunt autem hi actus, qui constituunt proces-
sum, vel ita comparati, vt ex ipsa natura iudicii legitime con-
stituti per se fluant, hinc nunquam saluo negotio abesse possint,
et hinc non sine ratione a STRYCKIO in *introd. ad praex. Cap. I.*
§. 14. iuris gentium esse, et per leges processus naturales de-
terminati, vocantur, quippe qui in quolibet processu, quolibet
que ordine procedendi, hinc et summario quoque obseruari
debent, sub poena nullitatis. Quidam autem eorum ita sunt
comparati, vt necessario non requirantur, sed abesse possint,
et per leges positiuas solummodo aut ratione modi, tempo-
ris atque personarum ulterius determinantur, ne per vagum
arbitrium confusio metuenda maneat, aut ad bene esse solum
adiiciuntur, licet euentus consilio non semper responderit.
Illi *naturalia*, hi *essentialia* processus merito audiunt.

*) Ergo omnia essentialia processus necessario adesse debent in
quolibet processu, cuiuscunque generis sit. Ergo actio seu
species actionis clara atque perspicua; citatio rei, qui audiendus
est; formatio aliqualis status controuersae; exceptiones rei,
tanquam species defensionis; probatio factorum negatorum,
decisio



inchoat decisio litis per sententiam; et denique sententiæ executio con-
 tra inuitum. Nec obstat obiectio, quod iamiam adfit proces-
 sus, si modo actio instituta, et citatio reo insinuata sit. Licet
 enim hisce duobus actibus solis existentibus tam actor, quam
 reus, sese in processu esse, merito dicant: tamen praeparatoria
 processus haec solummodo sunt, et cum formatione status con-
 troversiae, ac responsione rei, partem praeparatoriam, ac prae-
 liminarem, seu dilatoriam processus, sicuti quoque vocatur, fa-
 ciunt. A qua pars principalis, remediorum, et executiva di-
 stinguenda debent, quae coniunctim sumtae integrum processum
 constituant.

Sunt quidem qui contendunt, solam actionem, responsum
 rei, probationem et sententiam, constituere essentialia proces-
 sus, et hinc sicuti formationem status controversiae, ac execu-
 tionem sententiæ contra inuitum, ita et in primis citationem, e-
 numero essentialium excludunt. SCHAUMBURG in princ.
 prax. iurid. iudicial. Cap. 1. gen. §. 1. in Schol. Sed quantum
 mihi iudicare liceat, minus recte. Ut enim taceam, quod in
 equaliter processus specie, si non antea aliquo modo formatus sit
 status controversiae, haud possit constare de eo, quid proban-
 dum, aut non sit, hinc confusio haud euitanda maneat; et abs-
 que integro iudicio; praecipue quoad citationem huic senten-
 tiae subscribere non possumus. Omnium enim actionum insti-
 tuendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua pra-
 tor edicit de in ius vocando. Vtique enim reus in ius vocan-
 dus manet, id est, vocandus manet ad eum, qui ius dicturus sit:

§. 3. instit. de poen. temer. litig. Clem. 2. de verb. signif. Quid
 quod citatio in processu ita necessaria est, ut neque in notoriis,
 neque si praefens iam sit citandus in iudicio, abesse possit: L. 2.
 de iudic. L. 1. pr. de edend. STRUVIUS exercit. §. 10. ubi
 Licet in modo citationis differentia esse queat. Et ratio huius
 dispositionis facili negotio perspicitur potest ex fine citationis.
 Cum enim in finem reus in ius vocatur, ut respondeat ad insti-
 tutam



tutam actionem, et inauditus non condemnetur. Nunc autem nemo ad actionem respondere potest, nisi eam, eiusque circumstantias, quaeque ad suam defensionem pertinent, secum bene considerauerit. Ergo ut instructus veniat ad iudicium citatio necessaria, et ex omnia exceptionem non praeparari opponere ei licet. Nec, si modo a tempore, et modo ac qualitate citationis diuersae abstrahamus, in criminali processu differentia adest, vti infra pluribus parebit.

§. III.

Ipsa integra pertractatio causarum controuersarum in iudicio, seu complexus actuum, qui in publica cognitione et decisione causae controuersae sese inuicem excipiunt, in sensu generali processus nomine venit, et respicit vel subiectum, seu personas iudicium constituentes, vel obiectum, seu causam controuersam decidendam, vel formam, seu ordinem modumque externum, quo actus in causae cognitione et decisione obuii sese inuicem excipiunt, atque expediuntur. (§. 1.) Iam autem causae controuersae, quarum cognitio et decisio in processu peragitur, concernunt aut interesse mere priuatum, seu laesionem a reo, actori, tamquam alteri parti litiganti illatam, absque respectu ad poenam publicae salutis atque securitatis causa infligendam, et causae civiles audiunt JCris. Aut respiciunt interesse publicum, intuitu poenae publicae delictis et criminibus infligendae, publicae salutis atque securitatis intuitu, et causae criminales dicuntur. Causae civiles constituunt processum civilem, et hinc sistunt complexum actuum, qui in iudiciali cognitione et decisione causae civilis sese inuicem excipiunt, quatenus scilicet illa interesse priuatum actoris respicit. Causae autem criminales sistunt processum criminalem, seu complexum actuum, qui in iudiciali cognitione et decisione causae criminalis, publicum interesse respicientis, sese inuicem excipiunt. Hinc plerumque a JCris processum a diuersitate obiecti vides diuidi in duas species, criminalem, et illi oppositam civilem.



§. IV.

Quia ab obiecto, seu diuersitate causae controversae in iudicio ventilatae hanc diuisionem processus in civilem et criminalem deducunt Icti, & plerique contendunt, intermediam speciem causarum non dari, et simpliciter eas aut merum publicum, aut merum priuatum interesse respicere, nec intermediam speciem processus, inter civilem et criminalem admittere volunt, et hinc processum a causa potiori, quae alteram ad se trahit, denominari defendunt. Nec negari potest in plurimis, atque plerisque criminalibus persecutionibus hoc ita obtinere, quia laesus incommodis processus accusatorii criminalis perterritus, contentus manet, quando iudex in crimen a se delatum ex officio inquirit, et obiter solum reparationem damni aliquatenus obseruat. Dantur autem non solummodo casus, ubi principale atque praecipuum motiuum factae delationis in denunciante ad reparationem damni sibi illati tendit, praecipue quando poena propter crimen, aut si maus delictum, denunciatum, non adeo magna imminet, vt verè criminalis, *würckliche peinliche Strafe* dici possit. Sed dantur praeterea crimina aut delicta, quae licet per indirectum rempublicam laedant, in quibus tamen puniendis praecipue et primario priuatorum respicitur laesio. Exemplis, vt mentem vterius exponam, prouoco solum ad iniurias atroces, quae poenam, propter conditionem temporis, personae laesae et iniuriantis, aut qualitatis iniuriae, imprimis realis, illatae, publicam merentur, simulque tamen iniuriato priuatam satisfactionem intuitu existimationis laesae concedunt. Aliud suppeditat SCHILTERVS in exercit. ad pand. 21. §. 17. intuitu criminis serui aut filii corrupti. Immo clarius hoc disponit *constitut. prouinc. Pomer. quae Suecorum ditioni subiecta, de dato 24 Apr. 1739. verb.* *Das alle und jede Landeseinwohner, sie seyn gefessen oder nicht, von welchen man in Erfahrung gebracht, daß sie denen entwichenen leibigenen Unterthanen mit Rath und That zur Beförderung ihrer Stucht an die Hand gegangen, oder auch nur die geringste Wissenschaft darum gehabt, und solches nicht sofort ihrer, oder derer entwichenen*



wichenen Herrschaft angezeigt, mit gleichmäßiger (Ruthenstrafe, nemlich, de qua in antecedentibus sermo est) harter Leibesstrafe, und andern exemplarischen Beahndungen, nach Unterscheide derer Personen und Umstände beleet, und NB. zur Ersetzung alles Schadens derer Herrschaften angehalten werden sollen. Vt taceam crimen incendii, falli, aliaque, quae hic in censum venire possunt. Quoties itaque in eiusmodi criminibus laesus, ad euitanda onera probationis et sumtuum, iudici factum defert, et exigit, vt processum inquisitionis ex officio propter qualificata indicia delata instituat, simulque declarat, se huic processui pro suo interesse priuato, et ad obrinendam reparationem suae laesionis adhaerere velle, toties causa in iudicium deducitur, quae interesse & publicum et priuatum aequa lance concernit. Aut itaque falsum est a diuersitate causarum in iudicium deductarum, et prout ea concernunt interesse publicum et priuatum, distinctionem deduci posse processus in criminalem et civilem; aut verum quoque esse deber, quod quia dantur causae mixtae, quae publicum et priuatum interesse simul concernunt, et quidem vtrumque simili fundamento concernunt, etiam detur processus mixtus, tanquam species intermedia inter processum criminalem et civilem. Consentientem mecum hac in re adducere possum, ne absque ratione nouaturiens videar, *b. SCHAMBVRGIVM l. c. §. 2 et 3. vt et SCHILTERVM l. c.* Immo licet non directe consentientem, tamen re rectius pensitata non dissentientem WERNHERVM *Part. 6. Obs. 302.* Quem mixtum processum, quia a denunciatione criminis iudici facta incipit, et per declarationem, quod denuncians quoad suum interesse priuatum huic denunciationi adhaerere velit, substantiam capit, *processum denunciationis*, seu *denunciatorium* vocare nullus dubito, et consistit in complexu actuum, qui in inquisitione a iudice ex officio ad denunciationem laesi instituta, quoties denuncians simul declarat, se huic processui inquisitorio quoad suum interesse priuatum adhaerere velle, sese inuicem in iudicio excipiunt,



Nouioribus solum temporibus, et extensionibus prudentum seu Ictorum, qui eiusmodi denunciationem iudici ad inquirendum factam, eique adiectam declarationem de futura inhaesione, ex suis consiliis ad vsum fori nostri accommodatam iudicarunt, originem debere hunc processum mixtum contendunt et SCHILTERVS et SCHAVMBVURGIVS *l. c.* Nec negandum manet antiquiori aevo plane nullum aliud remedium existisse, quo cum poena publica delinquenti infligenda, simul reparationem laesionis priuatae acquireret laesus, quam processum criminalem accusatorium, qui in plurimis actibus cum processu inquisitorii criminalis imitatur, a qualitate eius participat. NEANDER *in introd. ad process. criminal. Cap. 2.* conf. ENGAV *in element. iurispr. criminal. Lib. 2. Tit. 5. §. 55.* Sed hicce processus criminalis accusatorius ex parte laesi et actoris maximis molestiis erat coniunctus, de quibus conferri mereretur FROELICH a FROELICHSVRG *in Comment. über die P. 3. G. O. Part. I. pag. 328.* STRVV. *Cap. 2. Obs. criminal. Obs. 2.* Refertur hic potest Romanis vsitata inscriptio in crimen, s. propria promissio poenae talionis, si accusator in probatione deficeret. *L. 7. pr. D. de accusat. et inscript. L. 13. C. de accusat. et inscript.* Praestatio cautionis de lite prosequenda, sumtibus, damnis atque iniuriis, ita vt si cauere non possit, carceri includatur. *Art. 12. 13. 14. 15. C. C. C. ibique KRESS. in Comment.* onus probationis, quod subire debet, et quidem solemniter modo, accusator, SCHAVMBVRRG. *l. c. Lib. 2. Cap. 9. §. 11.* notae macula, qua non quidem ex legis dispositione, sed tamen opinione hominum, et peruersa temporum consuetudine, ad minimum olim laborabat.

*) Iure Romano tam, quam antiquo Germanico omnem processum criminalem fuisse solum accusatorium ostendit CHRIST. THOMASIVS *in Diss. de orig. proc. inquisit. §. 35. seqq.* Et licet dissentiant MATTHAEI *de crimin. Lib. 48. Tir. 20. Cap. 1.*
BALDVIN.



BAIDVIN. in *Comment. ad edict. veter. de christ.* et novissime
 LEYSER. *spec. 509. med. 10. prouocantes ad L. 13. D. de*
offic. praesid. L. 7. C. de accusat. Nov. 128. Cap. 21. et PLINII
epistolas ad Traianum, tamen satis iam Thomasia sententiam
 defendit b. BOEHMERVS in *iur. ecclesiast. prot. Tom. 4. Lib. 5.*
Tit. 1. §. 86. seqq. ad quem prouocare sufficit.

§. VI.

Hae innumerae molestiae cum accusatione criminali con-
 iunctae non poterant non deterrere accusatores. Ita autem
 impunita manebant crimina, et partim impunitate, partim se-
 ductione, et malorum aemulatione quotidie crescebat, atque
 accrescebat delictorum numerus. Praecipue autem hoc in
 clericorum sorte obtinebat, quorum ab accusationibus non
 vna ex causa desistere quilibet cupiebat fortunae suae memor.
Conf. BÖHMER in insit. iur. canon. lib. 5. Tit. 1. §. 10. not. 10.
 Rebus autem ita comparatis necessario quaerendum erat reme-
 dium ad vulneratam securitatem reipublicae restituendam.
 Haud itaque vituperandus, sed magis laudandus suo modo
 manet Pontifex Innocentius XIII. qui ad medelam huic malo
 adferendam in seculo XII. basin atque fundamentum posuit in-
 quisitorii processus criminalis, quo iudex ex officio sine villo
 accusatore inquirat in veritatem criminis commissi, cuius quis
 per clamorem publicum, aut aliis sufficientibus indiciis infi-
 mulatus est. Imprimis, quia hunc procedendi modum irre-
 gularem et inconstuetum restrinxerat, ad subsidiarios limites,
 publicum clamorem, et extraordinariam poenam, sicuti iter-
 um erudite satis exposuit BÖHMER in *iur. ecclesiast. protestant. l. c.*
 Qui tamen processus, a clericis primum susceptus, licet eum usu ser-
 vari noluerit Henricus III. et IV. contra adhiberi voluerit Lotharius, ut
 ecclesiae eo facilius et celerius recuperarent res furto amissas, sequentibus
 temporibus est mox probatus, mox reprobatus, mox in paucis, mox in
 omnibus atrocioribus criminibus admissus, vti verba celeberr. ENGOVII
 in *element. iuris crimin. Lib. 2. Tit. 6. §. 71.* sonant. Vnde satis
 patet ingentes molestias cum accusatorio processu criminali

B

con-



coniunctas, si non originem dederint, tamen occasionem sup-
 peditasse, quod processus criminalis inquisitorius, ab ipso im-
 peratore CAROLO V. in C. C. C. art. 214. et 219. solum in sub-
 sidium praescriptus, in foris Germaniae factus sit dilatatus et
 frequentior, et adeo ad usum forensem quoque secularem de-
 ductus, ut processus formalis accusatorius criminalis plane
 defere abierit in defuerudinem, ita ut hodie rarissimum sit exem-
 plum, si ille formetur.

§. VII.

Licet autem hocce processu inquisitorio instituto, atque
 ad delationem quoque laesi contra delinquentem mora ex offi-
 cio inquisitione, accusatore quoque deficiente, reipublicae
 quidem, dum poena in delictum commissum statuta adicitur
 laesus, satis fiat, laesus tamen ex eo damni reparationem, ad
 minimum non semper satis certam, ac sufficientem, sperare
 potest. Etsi enim concedam, iudicis officium in hoc quoque
 processu inquisitorio eum adstringere, ut in decidenda causa,
 satisfactionis priuatae, et damni illati reparationis, quantum
 fieri potest, memor sit. Tamen iudex ex officio solus proce-
 dit, et delatorem licet ipsum laesum, indicis semel indictis,
 in ulteriori processus directione plane nec admittit, nec in con-
 silium vocat. Millia possunt obuenire facta, quae ulteriorem
 causae cognitionem requirunt, de quibus ex actis tamen non
 constar, ad minimum non satis certe constar, ita ut iudex,
 qui secundum acta et probata decidere tenetur, iuste quidem
 et legitime abstineat ab ulteriori inquisitione. Quae tamen si
 delatori, qui notitiam horum factorum atque probationis ad-
 ferendae habet, licitum fuisset sese immiscere huic inquisitioni,
 cognosci potuissent, quod tamen inquisitione formali et sim-
 plici instituta fieri non potest, nisi suspicionem calumniae sibi
 contrahere velit, qui crimen denulit. Nec obstat, quod vlti-
 riorem indiciorum delationem a delatore utique exigere possit,
 ex officio simpliciter inquirens, si e re videatur. Respondeo
 enim hoc obtinere, si e re videatur, id est, si ex actis verosim-
 liter



militar adpareat, quod vltiora indicia forsitan adsint. Quid autem si hoc non appareat, vti tamen frequenter fieri potest. Immo existere possunt casus, vbi licet constet ex actis ipsis de vltioribus indicis, tamen ea sint ita qualificata, vt non nisi de culpa admissa reum arguant, quae quidem ad damni priuato laeso illati reparationem, si probata sint, delinquentem obligent, a poena ordinaria tamen, licet etiam constet de eorum veritate, liberent. Tunc poena extraordinaria inflicta iudex inquisitionem publicam claudit, et laeso, si reparationem damni obtinere vult, nullum aliud manet remedium, quam actio priuata, in qua suis saepe numero maximis sumptibus probationem nondum probatorum, aut non satis ad effectum condemnationis probatorum, adferat, et tunc sententiam civilem cum maximo temporis tractu exspectet. Nil melius tunc in eiusmodi casu iudicio, nilque consultius atque ad forum nostrum accommodatius cum SCHILTERO *in exercit. 21. th. 17.* existimo, quam iudici denunciare crimen, et si id verum, et indicia satis qualificata existant postulare processum inquisitionis ex officio institutum, ita tamen, vt simul declaret, se huic processui pro suo interesse priuato adhaerere, eumque in finem illi tanquam pars colitigans, quatenus suum interesse priuatum occurrat, interesse velle. Liberatur enim tunc denunciatus ab onere probationis et sumptuum: SCHILTER *l. c.* vices actoris proprie in se non suscipit, neque de expensis, iniuriis, damnisque illatis cauere, neque denunciata, quatenus publicum interesse concernunt, probare tenetur, sed iudici solummodo commissum crimen, publica poena expiandum, et indicia ad inquirendum sufficientia indicat, et nonnunquam suam denunciationem iureiurando confirmat. Reliqua vero, interesse publicum respicientia, iudicis arbitrio relinquit, quomodo vltius procedere velit. WERNH. *Part. 4. Obs. 216.* Sed tamen propter suam declaratam in actis adhesionem pro suo interesse priuato, ne inauditus iudicetur, utique a iudice exigere potest communicationem actorum, et in respectu damni sibi illati vigilare, et tam in cognitione quam decisione causae



iura sibi competentia curare, hinc quoque quatenus in sententia absolutoria laesum se legitime docere potest, remedia interponit pro natura processus usitata et recepta. WERNHER. *Part. 6. Obs. 302.* Nec in foro hodierno, ac iudiciis nostrarum prouinciarum, inusitatum esse hunc procedendi modum, docet exemplum nuperrimum a *Consulissimo Domino Praefide ex scriiis Amplissimae Facultatis* mihi suppeditatum, quo magistratus quidam patrimonialis in vicina prouincia magistratui ciuitatis corruptionem seruorum a ciuitatis proprio homine commissam denunciabat, et non solum poenam in constitutione prouinciali stabilitam ex officio infligendam vrgebat, sed simul, ut ad damni reparationem condemnaretur, postulabat, cui magistratui denuncianti non acta solum communicabantur ad curandum suum priuatum interesse, sed et, postquam per sententiam interlocutoriam denunciato iniungebatur iuramentum purgatorium, et denunciatus magistratus se in eo grauatum quaerebatur, appellatio ab eo interposita in iudicio superiori admittebatur, licet ex alia ratione quaestio mora esset in hoc causarum genere pro concurrentibus in eo casu specialibus circumstantiis, re medium appellationis locum habere possit.

§. VIII.

Quamuis autem haec omnia ita, uti in §. 5. 6. 7. dictum, sese habeant, valde tamen, idque non sine ratione dubito, an ex sola consuetudine, et simplici prudentum opinione, stamina prima huius processus mixti, seu denunciatorii deriuanda sint. Credo potius, idque ex infra dicendis deduco argumentis, quod ex veterum Germanorum iudiciis denunciatorius, *denen Rüge Gericht*, et illis, quae maiores vocarunt *Dreyding*, earumque procedendi modo, primum acceperint originem, quem propter rationis quandam identitatem ad alia quoque crimina, qualium disquisitionem haecce iudicia secundum suam naturam non admittebant, extenderunt forenses obseruantiae, quae longo vsu adprobatae vim legis habent. Erant enim illa species iudiciorum, quae suis determinatis solemnitatibus inchoa-



choabantur, et finiebantur, in quibus ad vnum omnes mallentes comparere, et delicta in banno perpetrata, nec iudici iam cognita sub iuris iurandi fide reuelare tenebantur, partim vt poena dignis infligeretur, partim vt reparatio damni breuibus an fractibus celeriori processu fiat. MYLIVS *de iudic. denuncia-*
tor. Saxonie. Cap. 3. §. 16. 19. 25. 28. HERTIVS *de consult. leg. et iudic. §. 28.* A. IOHANNIS 34. *Breslau gemeine Dreydinges Ordnung der Stadt Schweidnitz.* IOAN. ANT. DE FRIEDENBERG. *de quib. Silesiae iurib. Lib. 2. Cap. 35.* Nec hodie extra vsu sunt, sed adhuc passim vigent, vario tamen modo in diuersis prouincijs, solumque vt plurimum correctionem et emendationem morum pro fine habent, vnde et censoria vocantur, atque mox singulis annis, mox triennio, mox aliquoties in anno frequentantur. *Conf. ENGAV in element. iur. crim. Lib. 2. Tit. 3. §. 41. ibique cit. ordinat.* Quod si enim inspiciamus modum procedendi in illis consuetum, adest unus mallentium, qui delicta leuiora, ad inquisitionem solemnem non qualificata, censoria tamen animaduersione digna, iudici, nonnunquam quoque cum iurata corroboracione, indicat, adest iudex, qui ex officio vterius procedit, ita tamen vt ad abbreviandas lites non solum respiciat interesse publicum, sed simul vna eademque cognitione et decisione, audita summariter, si opus, vtraque parte, et poenam et satisfactionem priuam determinet et constituat. Eadem illa omnia, si modo abstrahas a natura et qualitate delictorum denunciatorum, et summaria causae cognitione, quam natura et grauitas criminum non admittit, in processu mixto seu denunciatorio deprehenduntur, cuius naturam ac indolem, breuibus licet, supra in §. 7. delineatam dedi. Immo eo magis hanc meam sententiam corroborat, processus mixtus, seu denunciatorius, qui in Saxonia in vsu est Electorali, quo iniuriatus non actionem aestimatoriam instituire, sed per modum denunciationis agere debet. *Mand. Reg. de duell. d. a. 1712. §. 22.* Nam competit vi huius mandati iniuriato remedium mixtum, ad eum effectum, vt reus vel in recantationem, vel deprecationem, vel declarationem
 B 3
 honoris,



honoris, vt et damni vere illati et probati reparationem, condemnatur, et praeterea ex arbitrio iudicis, vel multa, vel carcere, vel relegatione coërceatur. HEILS. *iudex & defens.* Cap. 6. §. 48. MENCKE *in obseruat. circa process. Saxon. quo causae iniuriarum ex mand. reg. d. a. 1712. peraguntur.* KRESS. *de obseruant. acquit. repugnant. circa process. denunciati. qui in for. Saxon. ad mand. reg. de duell. 1712. inuoluit occurrent.* Omnia haec, me quidem iudice, satis docent, non solam opinionem JCorum huic nostro processui mixto originem dedisse, sed potius antiquatae in Germania consuetudinis denunciandi delicta leuiora in iudiciis illis censoriis extensionem solummodo factam esse ad iudicia criminalia grauiora, quo a molestiis accusandi liberetur laesus, et tamen securus quoque in inquisitione ex officio mota, propter interesse suum priuatum concurrens, expectet reparationem laesionis.

§. IX.

Haecenus quod satis iudico, probatum dedi in superioribus §§., quod processus in sensu generali sumtus, pro diuersitate obiecti, quod in iudicio ventiletur, non in ciuilem et criminalem, sed potius ciuilem, criminalem et mixtum, seu denunciatorium diuidi possit et debat, quia in hac vltima specie causa quaedam occurrit a iudice cognoscenda et decidenda, quae et interesse publicum et priuatum simul principaliter respicit. §. 4. et 7. Quia tamen plerique JCorum doctrinam de processu in systematibus atque compendiis suis pertractantes, vocem illam in sensu speciali accipiunt, pro solo ordine et modo, quo in cognitione atque decisione causarum controuersarum actus ex legis dispositione necessarii sese inuicem excipiunt, atque expediuntur, §. 1. et tunc contendunt in hac denunciatione criminum cum adhaesione denunciantis quoad interesse priuatum coniuncta, diuersum a ciuili, aut criminali, ordinem et modum non obtinere, quo actus iudiciali cognitioni ac decisioni causae controuersae obuiaae inferuientes sese excipiunt, et expediuntur, sed a potiori causa, quae alteram ad



ad se trahit, in quolibet obuio casu processum vel civilem, vel criminalem, illumque aut accusatorium, aut inquisitorium obseruandum esse, hinc mentionem huius mixti processus plane non faciunt. Primus, qui eum separatim memorat, eiusque naturam ac indolem, licet breuibus, exponit, quantum mihi constat, est *b. SCHAUMBVRGIVS in princip. prax. iurid. iudiciar. Cap. 1. general. §. 2. et 3.* Prouocant ad id, quod denunciatio solum viam sternat ad inquisitionem, et ad praeparatoria saltem processus inquisitorii pertineat, separatam autem speciem processus, separatumque modum procedendi non constituat, et priuata illa atque secreta denunciatio, quam meminit *Cap. 24. X. de accusat. et Cap. 31. X. de Simon.* et ab accusatione et inquisitione distinguit, longe aliud quid tam intuitu effectus inquirendi, quam condemnandi, denotet, *conf. ENGAV l. c. Lib. 2. Tit. 5. §. 54. CARPZOV. qu. 108. n. 54. BÖHMER in iur. eccles. protest. T. 4. Lib. 5. Tit. 1. §. 91. seqq.* Sed salua ex usu fori hodierni res est, et non solum *SCHAUMB. l. c.* diuersum ordinem et modum expediendi actus, huiusmodi causae denunciatæ iudiciali cognitioni et decisioni inferuientes, tam a civili, quam a criminali et accusatorio et inquisitorio processu, tam quoad onus probationis et sumtuum, quam quoad modum cognoscendi, et remediorum a denunciante interponendorum, ex *SCHILTERO* et *WERNHERO adl.* deduxit; sed eo magis adhuc hoc elucebit, si omnes actus speciales breuibus percurram, atque differentiam a ceteris speciebus processus obuiam ostendam, quod quatenus vires valent, nec humeri infirmi ferre recusant, exercitationis causa meum erit institutum.

§ X.

Antequam autem hoc faciam, praemonendum esse iudico, per naturam huius processus, supra §. 7. delineatam, iudicem hoc in casu versari in cognitione et decisione causae controversae in iudicium deductae, quae aequa lance, ac principaliter et interesse priuatum laesi, et publicum ciuitatis respicit. Eum in finem enim denunciatis, legibus et usu fori hoc permittent-



mittentibus, quoad suum interesse priuatum adhaeret, atque declarat, se vtrumque petere ac postulare. Praesupponit itaque casum, et factum obueniens, in quo vtrumque secundum legis tenorem locum habet. Alias enim non obtinet processus ille mixtus, quem denunciatorium appellauimus, sed manet vel mere ciuile, vel mere criminalis, aut accusatorius, aut inquisitorius. Ponamus itaque adesse delictum, quod priuatam quidem satisfactionem, et poenam forsitan quoque ciuilem mereatur, sed per legis dispositionem ad inquisitionem solemnem non qualificatum. Tunc iudicis est denunciantem statim ex officio a limine iudicii sua denunciatione repellendi, cumque per decretum reducendi ad processum ciuilem pro re nata aut ordinarium aut summarium, siue protocollarem. Ponamus, adesse factum, quod quidem delictum criminali inquisitione dignum inuoluit, sed vel plane nullam vel leuissimam satisfactionem priuatam coniunctam habet, et iterum impellit iudex criminalem accusatorium eligendum, aut hoc non facto, simpliciter proprio motu ex officio inquisitorie procedit. Ponamus denique adesse denunciatum a laeso erimen, quod in thesi et obligationem ad poenam publicam propter reatum, et satisfactionem alicuius momenti priuatam propter laesionem delinquenti iniungit, sed denunciantem facta in denunciatione non declarasse se velle huic processui quoad suum priuatum interesse inhaerere, et iterum cessat processus mixtus, et simplex inquisitorius locum inuenit. Quando autem contra ea omnia ante adducta simul concurrunt, et tunc legitima indicia quoque a denunciante prolata, intuitu interesse priuati concurrentis manet denunciatus pars litigans, quem iudex audire, iura sua legitime defendendi viam sternere, cuique beneficia a lege concessa, quatenus quaestio de priuato interesse concurrat, haud denegare debet iudex, ad quem denunciatio legitima dirigitur, qua tamen quoad interesse publicum et poenam delinquenti inferendam, et in cognitione, et decisione causae, plane extraneus manet, nec pro litigante villo modo habendus erit.



§. XI.

Ad initium itaque totius processus, quod primo attinet, denunciatus in hoc mixto et denunciatorio processu ad iudicem semper defert commissum delictum, ut ille ex officio inquirat in illud, quatenus de violatione legis poenalis, hinc reatu, et interesse publico sermo est. §. 10. et 7. Semper itaque per suam naturam atque indolem denunciationem laesi, qui adhaeret huic processui, praesupponit, absque quam iudici de crimine commissio non constat, quaeque fundamentum hinc totius processus sistit. Et sicuti in genere nulla in genere inquisitio formalis, seu processus inquisitorius, qui hic cum civili miscetur, locum inuenit, nisi iudici delictum commissum esse legitimo modo innotescat, ita ut aut fama illud terat, praesumptiones loquantur, aut alius denunciet *art. 6. C. C. C.*; in denunciatione autem facta, probabilem semper iudex respiciat causam, qua munitur illa, quam vel personae deferentis qualitas, vel delatae, et corporis delicti adfert, et determinat, uti a WILLENBERGIO in *diff. de denunci. crim.* satis exponitur: Ita et idem illud eo magis iudex caute obseruare debet in hoc mixto et denunciatorio processu, quo magis contra ipsum denunciante, qui quoad interesse suum priuatum huic processui adhaeret, suspicio partialitatis tanquam in sua propria causa denunciante militare videtur. Omnia itaque hic obseruanda manent, quae alias in simplici denunciatione et inquisitorio processu formalis obseruanda sunt, et praecipue ea, quae determinat *art. 6. 25. §. sum Sechsten: C. C. C.* et WERNH. *Part. 3. Obs. 214.* Ita tamen, ut iuramentum, quo corroborat denunciatus suam delationem, non obtineat in foro, nisi reus bene audiat, nec ex vita ante acta finistram praesumptionem contra se habeat, et indicia prolata leuia fuerint. In eo tamen modus procedendi ab ordinario processu inquisitorio recedit, tramitemque processus civilis sequitur, ut partim denunciatus adhaerens de omissa inquisitione, quando legitima adsunt indicia prolata, et adminicula adprobationem suggesta sufficientia, penes superiorem queri possit, et reus contra utique inste
C
exigat,



exigat, vt nomen denunciantis, quisnam sit, compertum habeat. Ad illud enim quod spectat discreti iudicis quidem, sicuti in doctrina de iudiciis in genere, ita etiam hac in quaestione, quatenam ad inchoandam inquisitionem sint sufficientia, aut non, est et manet liberum arbitrium: *art. 11. 18. et 24. C.C.C.* nec denunciante qua tali interest, licet etiam iudex forsitan hac in re negligens sit, in processu inquisitorio ordinario, quippe qui plane extraneus manet, nec ultra denunciationem factam, absque praescitu iudicis, huic processui, a iudice ipso ex officio dirigendo, sese immiscere valet. Longe alia autem rerum facies se sinit in processu mixto, propter semel factam a denunciante declarationem, se velle huic processui a iudice ex officio instituendo quoad suum priuatum interesse inhaerere. Si itaque sufficientia sint adlata indicia; si satis suggesta adnucula probationis; si factum ita qualificatum, vt solemnem inquisitionem mereatur, vtique denunciantis adhaerentis interesse concurrat, quando nihilominus inquisitio a iudice ex officio formanda denegatur, aut protrahitur. Laeditur in iure sibi competenti, beneficium adhaerendi illi aufertur, et cogitur aut ad suscipiendam criminalem accusationem, aut actionem civilem maximis sumptibus instituendam, vt reparationem damni sibi illati producat, atque adquirat. Quo itaque penes superiorem incuset iudicem negligentem, quo mandata extrahet ad mouendam inquisitionem, aut plane auocationem totius causae petat, immo pro re nata restitutionem damni et expensarum vrgeat, nil impedit. Quae omnia tamen cessant mixto processu deficiente, licet et in simplici denuncatione delationem negligentiae iudicis inferioris ad superiorem non denegemus, quae tunc tamen aut inquisitionem contra iudicem negligentem mouet, aut fiscalem excitat, non autem immediatas querelas per modum supplicae superiori exhibendas denunciante permittit, vt processus mixtus seu denunciatorius. Ad hoc autem quod attinet, vtique semper reorum maxime interest, vt sciant, quocum illis res sit, quique in lite mota aduersarius existat. In processu itaque



itaque ordinario inquisitorio quia delator simplex plane non in processu concurrat, nec etiam tanquam pars litigans consideratur, sed potius iudex ipse ex officio omnia dirigit, et delatore tantum tanquam teste utitur, eius quoque nomen durante inquisitione reo non patefit, immo cautelae causa ne actis quidem ante defensionem a reo susceptam inferitur. Sed in processu nostro mixto denunciatus, quia quoad interesse priuatum adhaeret, litigans manet, et hocce suum interesse priuatum contra reum deducere tanquam colitigans studet. Vnde nec negari potest, quod ad notitiam rei utique ferendum sit nomen eius, quo sciat, quocum illi quoad interesse priuatum litigandum, quidnam illi opponat, quaque ratione se a petitis liberet.

§. XII.

Sola autem delatio criminis ad iudicem, ut inquirat ex officio, licet etiam legitimorum indiciorum recensio, et adminiculanti suggestione probationum munita existat, tamen non locum facit mixto processui, nisi quoque expressa accesserit denunciantis declaratio ad acta, se quidem quoad interesse publicum, et poenam propter reatum infligendam a iudice postulare inquisitionem ex officio contra delinquentem mouendam, simul tamen quoque se per hanc denunciationem suum proprium respicere interesse priuatum, in quantum leges hoc permittunt, huncque in finem huic processui ex officio principaliter formandi eatenus adhaerere, seque futuris actis, quatenus interesse suum priuatum hoc exigit, immiscere, hinc eatenus partem colitigantem constituere velle. (§. 7. et 10.) Hoc enim si non faciat, beneficium lege et consuetudine stabilitum nemini inuito obrudatur, et iudex merum inquisitorium format processum, in quo per sententiam quoad publicum interesse omnia decidit, huncque in finem principalem omnia solus, inconsulto denunciante dirigit. Hanc itaque denunciationem, ad processum mixtum fundandum qualificatam, scriptam esse debere, nec oretenus factam, uti in alio processu inquisitorio fit, sufficere, et identitate, argumentorum, quae



quae de necessitate libelli scripti in processu accusatorio criminali ex *art. 89. C. C. C.* adducunt *CARPZOV. in prax. crim. qu. 106. n. 37. et MENCKE ad process. diff. 2. n. 3.* defendere satago. Partim enim grauitas causae, partim defensio rei contra intentionem denunciantis in respectu qualitatis damni illati, et obligationis exinde fluentis ad reparandum, partim autem, vt contra ex actis, inprimis extraneo decidenti, ad quem acta ad formandam et ferendam sententiam transmittuntur, de intentione denunciantis intuitu formandi mixti processus, hoc vtrique exigere mihi videntur. Quibus adhuc consuetudo et vsus forensis in casibus haectenus oblati accedit. Ad minimum cautelae causa hanc scriptam supplicam et implorationem iudici oblatam commendo. Quae tamen scripta delatio intuitu re-quisitorum, tam intuitu speciei facti formandi, quam indiciorum suppeditandorum, et suggestionis adminiculantium ad probationem eorum, cum simplici scripta delatione criminis inquirentis, excepta illa declaratione de adhaerendo, non recedit. Nisi in eo forsitan differentiam quaerere velis, quod instructior in hac specie denunciationis fieri debeat deductio et specificatio damni ex delicto denunciante emergentis, vt iudici constet, ad quod et quaenam intuitu priuati interesse futura dirigenda sit inquisitio tam in testibus quam in reo ipso interrogandis aliisque remediis inuestigandi et corpus delicti et auctorem. Vnde et merito iudex, quando hoc non satis determinatum, per decreta et mandata vltiorem eius explanationem, et quidem pro re nata, sub praecudio, aliisque remediis coactiuis, denunciante iniungit, antequam vltius inquirendo procedat, et ad promouendum finem litis poenas quoque contumaciae consuetae contra eum adhibet. Caueat tamen simul denuncians in exhibendo illo scripto denunciatorio, et formando, quem libellum denunciatorium dicere liceat, ne degeneret in formalem libellum accusatorium criminalem. Spectat huc praecipue, ne poenam publicam infligendam ipse vrgeat, ab accusando desistat, ratione interesse publici



blici omnia iudici dirigenda relinquat, abstineat ab oblatione ad probandum, aliisque omnibus, quae immixtionem in processum ultra interesse priuatum, ratione cuius adhaerere vult, inuoluunt. Minime gentium itaque haec species denunciationis, aut formationem articulorum, aut petitorum, licet etiam solum modum procedendi, v. c. incarcerationem, respiciat, saluo processu mixto, admittit. Sed potius statim quando hoc fit, degenerat in simplicem accusatorium criminalem, quae et probationis et sumtuum, immo cautionis onere accusatorem grauat. *Conf. Act. crimin. typis expressa wegen eines an seinen Herrn von einem Laquaien verübten Diebstahls vor dem Stadtgerichte zu R.*

§. XIII.

Peracta hac denunciatione, legitimis atque sufficientibus munita iudiciis, iudex solus et in inuestigando corpore delicti, et delinquente, persecutione absentis, incarceratione praesentis, concedendo saluo conductu, conquirenda probatione indiciorum, eodem modo in hoc quoque processu mixto procedit, vti in formali et simplici inquisitorio, inconsulto quoque denunciante adhaerente. Nisi quod denuncians ipse in probandis contra delinquentem ad incarcerationem et formandam inquisitionem specialem, iudiciis, non testis esse possit, licet alias in processu ordinario inquisitorio adhibeatur, quatenus fidei illius, praeter denunciationem, neque deficiens intellectus, neque suspicio falsi aliunde desumpta, neque aliud quid obstat. *ENGAV. l. c. lib. 2. tit. 15. membr. 1. §. 168.* Nam propter suum interesse priuatum concurrens, quod iudex hic quoque principaliter obseruat, cuiusque intuitu huic processui adhaerere, testis esset in propria causa, quem leges notoriae a testimonio repellunt. Non immerito, sed optima cum ratione fundata, propter suum interesse priuatum concurrens, quando vult, denuncians aut communicationem actorum suis sumtibus, aut ad minimum inspectionem eorum vrget, et quoties deprehendit, de suo corio ludi, suumque interesse priuarum laedi per incuriam iudicis illegalem, aut factorum inuincibilem ignorantiam,



quae tamen, eorumque adiniculantem probandi modum iudici suppeditare valet, iudicem decenter monere, eumque in finem, quando querela iuste fundata, nec a iudice auditur, ad superiorem deferre, et mandata ad accuratius procedendum producere illi licet, si modo suum interesse priuatum, hoc modo procedendi grauatum, liquido docere possit, nec absque ratione satis fundata in publicum interesse se immisceat, cuius cura soli iudici, eiusque directioni commendata manet, quatenus laesio in respectu ad interesse priuatum denunciantis non aperte exinde redundat.

- * Vnde et per se patet denunciantem in concedendo sauo ductu, quoties hic mixtus obtinet processus, et in quaestione an sit concedendus tam, quam altera, quanam cautio praestanda, pro re nata nonnumquam audiendum esse, et iure contradicendi ex legitime et liquido deductis rationibus, quae suum interesse priuatum tangunt, v. c. in quantitate et qualitate cautionis praestandae, iure contradicendi gaudere.

S. XIV.

Hisce peractis denunciatus praefens in iudicium deducitur, et de commissio ac denunciato crimine, et quoad reatum et quoad laesionem denuncianti illa tam interrogatur. In quo tamen examine omnia fiunt secundum indolem, ac praescriptam in legibus processus inquisitorii formam. Quare a iudice primo instituitur examen summario, quo denunciatus ipse facti denunciati circumstantias oretenus ad protocolum enarrare debet, et iudex finitata hac recensione pro re nata quaerit a denunciato, ommissa, probabilitatem enarratorum definitorem, contradictionum remotionem, e. q. s. r. vt eo melius propriam denunciati producat confessionem; ita tamen, vt et praecipue ad quantitatem et qualitatem laesionis denunciati illatae, et principaliter respicere debeat. Qua etiam ratione, finito examine summario, subsequitur speciale, ad formatos articulos, dirigendum examen ulterius, in quo, licet



licet et quoad modum, et quoad effectum alias differat a sum-
mario, tamen eadem ratione huius mixti processus monenda
manent, quae supra intuitu summarii iam adducta. Quamuis
autem denuncians per naturam processus mixti, in quo ipsi
iudici inquisitionem ex officio contra denunciatum instituen-
dam committit, omnia tam in sumuario, quam articulado
examine iudici dirigenda principaliter relinquit, tamen propter
interesse priuatum, intuitu cuius adhaeret processui denun-
cians, in respectu vtriusque examinis varia competunt denun-
cianti in hocce processu mixto iura, quae in formali inquisito-
rio intuitu simplicis denunciantis omnia cessant. Sic eni-
statim tempus examini destinatum notificatur antea denunci-
anti, si forsitan quaedam adhuc monenda habeat, quae ad fa-
cilitandas quaestiones, et obtinendum eo melius finem exami-
nis iudici suppeditare et possit, et velit. Quae si adlata, di-
iudicare debet iudex an fundata sint nec ne, et an interesse pri-
uatum concurrans quodammodo, etiam per indirectum, re-
spiciant, an non. Vltimo vtroque in casu vtrique admittere
debet ea, et examen instituendum ad ea dirigere, nisi iterum
iustas et fundatas ad superiorem delatas querelas denunciantis
mouere velit, iudex inquirens. Inimò in casu, quo denunci-
ans magistratus sit, qui propria gaudet iurisdictione, cum hac
notificatione, inprimis si iudex inquirens aut inferior, aut
aequalis cum denunciante, honoris tam, quam consilii causa,
vt publicum adsit, de omnibus rite atque legitime obseruatis,
testimonium, combinatur inuitatio, vt deputatum mittat ad
iudicium, qui tanquam auditor iudiciali intersit examini, mi-
nime tamen ipsi directioni sese immiscere debeat, nisi per mo-
dum nudi consilii, iudici dirigenti forsitan suppeditandi. Non
tamen exacte in formando atque instituendo examine summa-
rio haec obseruantur, quia, si in eo forsitan quaedam omissa,
haec inarticulato, absque laesione denunciantis fundata, adhuc
suppleri possunt. Monitoriae interim solum citationis speciem
inuoluit haec ad deputatum denominandum supra in casu
magistratus denunciantis adlata inuitatio tam, quam notificatio
termini,



termini, si forsitan quaedam momenda suppeditare velit. Vnde et iudex inquirens, si nihil ad acta exhibuit denunciatus, nec de puratum misit, tamen ex officio in termino praestituto procedit, et omnia peragenda ad normam processus peragit, ne causa protrahatur. Immo eadem ex ratione finito tam summario, quam articulo examine, denunciatus urget communicationem protocolli, licet suis sumptibus, aut ad minimum inspectionem actorum, ut perspiciat, an iudex omnia quoad suum interesse priuatum rite, legitime, et ex votis peregerit, an quidquam hoc respectu obseruandum neglexerit, aut omiserit. Priori in casu aut tacet, aut interueniente breui imploratione petit, ut ulterius inchoatam inquisitionem secundum formam processus continuat. Posteriori autem casu, quando apparet, aut iudicem plane non, aut ad minimum non sufficienter pro interesse priuato denunciatus inquisiuisse, haecce decenter monet, et petit, ut omnia suppleantur, antequam ulterius procedatur. Hinc licet denunciatus, noua emergentia iudici in scriptis suppeditare, reiterationem examinis detere, ulterius probandi futura remedia suggerere, et quae huius generis reliqua. Quae omnia, si satis in natura processus fundata deprehendit iudex inquirens, obseruare tenetur, ne iterum denunciatus uiam aperiat ad querendum penes superiorem per modum querelae de denegata iustitia. Ex actis omnia haec refero supra in §. ad legatis, ubi finito summario examine a magistratu municipalis inquirente, praevia communicatione protocolli, ad monita magistratus denunciatus, articulo instituebatur examen, illoque iam finito, iterum praevia communicatione, propter noua a magistratu denunciante suppeditata argumenta ad rhombum quadrantis, repetitum admittebatur examen super novos articulos, cum admissione, si velit denunciatus magistratus mittere, deputati, cuius admissionem eo in casu ipse magistratus denunciatus urgebat.

* Assero



Afferro in §. quod tam in summario, quam in articulo examine denunciatum statim oretenus respondere debeat. Hinc quod se non praeparare possit, quidam velit respondere, sequi videtur, cum tamen supra §. 2. asserui, quod nemo in iudicio, nisi citatus, et praeparatus respondere debeat, sed exceptionem non praeparati opponere possit. Ne itaque mihi ipsi contradicere videar, breuibus hic monendum iudico, et ipsi huic examini tam summario, quam articulo, re rectius pensata, speciem citationis antecedere. Ad summarium enim examen vocatur per de cretum, daß er vor Gericht zu erscheinen habe, um über gewisse Umstände vernommen zu werden. Ad articulum autem examen, um auf die vorzuliegende articulos zu antworten. Vtrogue itaque in casu actualis adest citatio, modo solummodo, ab alia citatione in civili processu consueta, differens, idque ea praecipue ex ratione partim, quia omnia, quae in hisce criminalibus examinibus ex delinquente quaeruntur, propria sua sunt facta, ad quae statim absque vlla deliberatione respondere potest; partim propter interesse publicum; quia reipublicae interest, delicta non manere impunita, eiusque executionem maturari. Quod fieri nequit, nisi delinquens de crimine aut conuictus, aut confessus existat, huic autem confessioni impedimento esset, si delinquenti cum communicatione singularum quaestionum, spatium deliberandi concedatur, quaenam velit adfirmare, quaenamque ad suam defensionem denegare.

Quae de natura huius processus mixti in respectu ad examen denunciati a me adlata sunt, eodem modo et in actu confrontationis instituendae sese habent, vnde de hoc speciatim verba facere, operae pretium haud duco. Hoc tamen hic intuitu confrontationis monendum iudico, quod licet ea alias sit voluntaria, et an instituenda aut omitienda sit, ab arbitrio iudicis inquirentis dependat, et absque nullitate omitti possit, CARPZOV. *prax. crim. qu. 114. n. 76.* tamen illa in hoc processu mixto, ad instantiam denunciantis, iustis rationibus munitam, fieri posse necessariam.



riam. Interim confrontationem denunciati cum simplici denunciante, licet alias suadenda utique sit, tamen in processu mixto, cum denunciante adhaerente, dissuadeo, propter rationem ex eo deductam, quod denunciatus in hoc processu adhaerens semper pars maneat colitigans, hinc facillantem habeat fidem.

§. XV.

Inquisitus ad articulos rogatus respondet vel affirmando, vel negando. Sin prius, et propria confessio sufficiens, et legitima existit, causa est finita, et per sententiam condemnatoriam terminatur. Sin posterius, probandum manet et crimen, et laesio exinde redundans denuncianti, ac obligacionem ad resarciendum producens. Quae probatio modis alias consuetis ac satis notoriis fit. Ita tamen, ut licet alias probatio per instrumenta in criminalibus cesset, *BÖHMER. in elem. iurisprud. crim. Sect. 1. cap. 11. §. 214. et 215.* quoad interesse priuatum probandum utique locum inuenire possit, sicuti etiam probatio per iuramentum denuncianti pro re nata delatum. In ipsa autem hac probatione quidem argumenta, documenta, testes, aliaque remedia conuincendi denunciatum, iudici inquirenti suppeditare potest denunciatus adhaerens, immo nouis argumentis et testibus inuentis, vltiorem repetitionem productionis vrgere, non autem tenetur, uti in processu ciuili, et accusatorio criminali, onus et sumtus probationis suscipere. Ratio autem, quod et facta probatione aut communicationem attestatorum, suis sumtibus, aut ad minimum inspectionem actorum quoque vrgere possit, denunciatus, eadem manet, quae supra §. 14. a me adlegata est in respectu ad responsionem rei aut summariam, aut ad articulos. Sed alia quaestio hic occurrit breuibus quoque tangenda, an denunciatus ipse inter testes ad probandum ipsum crimen in hoc processu mixto produci possit. Sunt qui hoc in processu inquisitorio regulari intuitu denunciantis simplicis mox negant, mox adfirmant. Illi pro-



prooucant ad *L. 10. C. de testibus Cap. 6, et 12. X. eod.* Hi addunt limitationem, si quis plane alienum negotium denunciauerit, nec aliud adsit impedimentum, quam sola denuntiatio, quod eius fidei obstat. *KRESS. in Comment. ad. C. C. C. art. 66. §. 2. SCHILTER. in addit. ad exerc. 49. pag. 113 §. 833.* Quando autem oculum intendimus ad denunciantem adhaerentem in hoc processu mixto, eo clarius parebit, illum plane non admittendum esse, quia pars colitigans manet, et omni casu interesse causae habet.

§. XVI.

Absoluta denique probatione quaeritur: an speciem deductionis contra denunciatum ad acta exhibere possit denunciatus adhaerens? Sunt qui hoc adprobant, immo ipsa exempla in foro obuia eiusmodi speciem deductionis admittunt, sicuti casus et acta *Facultati Iuridicae Rostochiensis* oblata supra §. 7. iam allegata docent. Sed vereor, ne tunc degeneret processus mixtus in verum accusatorium criminalem solemnem. Denunciatus licet in hoc processu mixto inquisitioni ex officio motae quoad suum interesse priuatum adhaereat, semper tamen per naturam processus iudici inquirenti directionem principalem relinquit et relinquere debet. Hinc iudex ipse in loco pronuncians, aut facta transmissione actorum, extraneus Referens ex natura processus inquisitorii omnia ex actis satis pensitare potest, et pensitaturus erit, licet etiam nulla extiterit deductio denunciantis. Ad inutilem itaque protractionem spectaret hocce exhibitum, idque eo magis, quia tunc, quando forsitan propter singulare interesse denunciantis illud admittere vellet iudex inquirens in casu obuienti, communicatio quoque necessaria erit ad contra deducendum, ne reus inauditus condemnaretur. Nec eiusmodi interesse denunciantis occurrere potest, si modo antea omnia rite obseruata sint, quae obseruanda in hoc processu mixto in antecedentibus §§. monui.

D 2

§. XVII.



troubis III. de offi. p. r. §. XVII. de offi. p. r. de inco. n. g.

Denique hisce omnibus absolutis atque peractis sententia fertur definitiua contra denunciatum. In qua ferenda pronuncians tam satisfactionem publicam, quam priuatam, omni et aequo iure respicere debet. Quod si non factum, nec denunciante denegandum esse, vt contra sententiam grauantem, quatenus eius interest, suspensiuo utatur remedio, iamiam ostendit. WERNHER, *Part. 6. Obseru. 302.* Immo ex principio supra §. 7. adducto satis se hoc explicat, cum quilibet vere grauatus colitigans per principia iuris satis notoria eiusmodi adhibet remedia suspensiuu. Duae autem quaestiones in hoc casu probe obseruandae manet: Sicuti enim in genere nemini conceditur remedium suspensiuum contra sententiam latam, nisi se laesum ac grauatum esse docere possit; Ita et hoc in praesenti mixto processu probe obseruari debet. Aut enim sermo est de interesse publico, huic in iudicio obuio, aut grauamentum allatum verum denunciantis interesse priuatum tangit. Primum quando adest, intuitu grauaminis mouendi, et remedii suspensiuu a denunciante adhibendi, illi exceptio, tua non interest, aperte obstat. Cura publici interesse in hoc processu mixto quoque ad denunciante plane non spectat, sed solum iudici incumbit, hinc nec cessante intuitu denunciantis grauamine, lenior quoque forsitan sententia illi concedere potest facultatem vtendi remediis contra eam. Sed si forsitan quoque cum interesse publico priuatum quodammodo concurrat denunciantis, quando regulae processus vltiorem procedendi modum in causa principali criminali contra denunciatum non admittunt, tamen denunciante se grauatum esse dicere nequit, quippe qui sibi imputare debet, quod relicta actione priuata, tunc mixtum elegerit processum, quo semel electo, deficientibus aliis grauioribus iudiciis vltius ex officio a iudice inquirente procedi non potest. Ponamus hinc casum, reum siue denunciatum, quia grauiora contra eum deficient argumenta, per
senten-



sententiam ad iuramentum purgatorium esse admissum. Tunc licet etiam forsitan reparatio damni a denunciante in hoc casu spectata et sperata, eo praestito, cesset, si modo omnia in illo dictando rite sint observata, cessat grauumen denuncianti per sententiam illatum, ergo nec remedia contra eam sententiam interponere valet. Nisi forsitan ex actis liquido doceri possit, iusto mitiorem fuisse iudicantem, et contra leges per delationem iuramenti purgatorii peccasse. Quoties autem de solo interesse priuato sermo est, et denuncians criminalem sententiam, intuitu poenae dictatae non impugnat, sed quoad reparationem damni eam mitiorem esse contendit atque docere vult, vtique audiendus erit.

§. XVIII.

Sed tunc altera occurrit quaestio: Quonam remedio suspensiuo eo in casu vti possit denuncians? WERNHER. *l. c. Obs.* 302. ipsum appellationis remedium denuncianti concedit, ea ex ratione, quod inadmissibilitas appellationis in criminalibus per inueteratam consuetudinem vsus hodierni fori obtineat, quae strictissime semper intelligi et explicari debeat, sicque extendi nequeat ad eum, qui Magistratui delictum denunciauit, si eius speciatim interfit. Satis autem iamiam docuit, SCHAVMB. *in princ. prax. iurid. iudiciar. L. 1. Sect. 2. C. 1. §. 7.* ad id, vt effectui suspensiuo gaudeat remedium, quo quis vititur contra sententiam, omnino requiri, leges vel mores id ipsum stabilientes, eumque effectum illi in hoc genere caussarum expresse tribuentes. add. LVDOVICI *in proc. ciuil. Cap. 27.* Iam vero quoque, quod satis est, constar, appellationem in criminalibus sicuti olim fuit, ira et hodie esse prohibitam, si paucas exceperis terras, quibus vel lege, vel consuetudine, suo modo data est appellandi facultas ad iudicia territorii superiora, ENGAV *in element. iur. crimin. L. 2. Tit. 10. §. 120.* et ea, quae in contrarium affert



affert OLDEKOP. in tract. de appell. in causf. criminal. ad solemnem accusatorium processum criminalem, non inquisitorium, spectant. CARPZOV. Prax. Crim. Qu. 139. Valde itaque dubito an argumentum WERNHERI l. c., de restrictiva interpretatione inueteratae vsu fori hodierni consuetudinis, hoc in casu omne punctum ferre possit. Denuncians enim in hoc processu quidem coltigans fit intuitu interessè sui priuati, sed tamen inquisitioni a iudice ex officio institutae adhaeret, et hinc propter ipsam suam hanc adhaesionem remedium huic inquisitorio processui conueniens eligere tenetur. Non simpliciter hic adest processus civilis, sed mixtus. Qui itaque de natura processus criminalis participat, quatenus id modo saluo interessè priuato denunciantis fieri potest. Immo ponamus appellationem tunc locum inuenire statim quoque causa integra protraheretur, atque deuolueretur ad iudicem, in criminalibus incompetentem, ad minimum in hoc casu incompetentem. Vt taceam protractionem causae criminalis, quae ex hac diuturno, atque perenni remedio, multis anfractibus et longissimo temporis tractu coniuncto, per indirectum oriretur. Inprimis quia alia sunt remedia, quae, in criminalibus et civilibus consueta, eandem vtilitatem parant denuncianti laeso, vt v. c. restitutionis in integrum, supplicationis, nouae transmissionis actorum praecia vltiori deductione. Et falsa quoque manet regula, quod consuetudo semper maneat restrictiue interpretanda. Licet enim quidem a casu ad casum extendi non possit, tamen in interpretatione grammatica subsistendum manet, et solummodo, quoties verba duplicem significatum admittentia occurrunt, ea in strictiori sensu sumenda sunt: *Conf. POLAC. de noxia et incongrua fauorabil. et odiofor. interpret.*

§. XIX.

Præcipue autem haec nostra sententia obtinebit in casu, in quo hac in quaestione iura tertii, magistratus sc. inquiringis, cum



cum iure denunciantis in collisionem veniunt. Explicabo mentem hac de re cum rationibus responsi, ab ampl. facult. iurid. huius almae in casu §. 7. relato dati, quod Cons. Dominus Praeses benevole communicavit. Magistratus inquirens expresso gaudebat privilegio, daß in Criminell-Fällen, sie führen Leibes-Strafen mit sich, oder nicht, keine Appellation statt finden, sondern statt dessen auf beygebrachte weitere Fürstellung, darinnen das grauamen ausgeführet, eine nochmalige transmissio actorum ad extraneos geschehen solle. In ipso vero casu denunciato constitutio provincialis expresse disponebat, daß, wenn man von einem Unterthanen oder Landes-Einwohner in Erfahrung gebracht, daß er denen Entwichenen mit Rath und That zur Beförderung ihrer Flucht an die Hand gegangen, oder auch darum, fugae scilicet intuitu, Wißenschaft gehabt, und solches nicht sofort ihrer, oder seiner Herrschaft angezeigt, mit harter Ruthen-Strafe, oder anderer exemplarischen Beahndung, nach Unterscheide derer Personen und Umstände belegt, und zur Ersekung des Schadens derer Herrschaften gehalten werden solle. Omnia quae contra reum denunciatum militabant indicia erant. 1) Litterae a fugitiuis post fugam peractam acceptae, quarum tamen acceptationem antea denegabat. 2) Litterae ad vnam sociam fugitiuorum missae, quibus nomen denunciati subscriptum erat, ex quibus de conscientia fugae, et consiliis eum in finem suppeditatis quodammodo constare videbatur, quas tamen a se, aut suo mandato et praescriptu scriptas esse, denunciatus strenue pernegabat. 3) Depositio iurata vnius fugitiuorum postea reducis iam puniti, quod denunciatus de fuga cum altero complici consilia cepisset, consentiens fuisset, immo eum suasionibus simul cum altero correo seduxisset, qui tamen omnibus a reo negatis, in ipso actu confrontationis mutabat quodammodo hanc suam depositionem, verbis, daß er nur, wie die andern beyden davon geredet, darhber zugekommen, dabero nicht eigentlich sagen könne, wer angefangen



gefangen = = = es wäre ihm nur so sorgekommen, als wenn die
 andern beyden schon einig gewesen = = = denunciat selbstn aber
 habe ihn nicht beredet. 4) Depositio alterius confociae fugiti-
 norum, quoque reducis et iam punitae, quod denunciatus
 sponsalia secum iniisset, alter confociorum illi nomine denun-
 ciati promissionem fecisset, daß denunciat nachkommen wolle,
 et ipse denunciatus proxime ante fugam, licet de ipsa fuga nul-
 lum colloquium cum ea habuisset, tamen ad suas querelas, daß
 er sie doch nun verlassen wolle, de nouo suas promissiones spon-
 salitias iuramento corroborasset, quibus tamen omnibus, de-
 nunciato omnia haec negante, et de sponsalibus solum se de-
 clarante, daß es wohl vielleicht hätte geschehen mögen, wenn sie nicht
 davon gegangen wäre, postea addebat testis producta, unmitelbahr
 hätte sie mit Denunciaren von dieser Flucht niemahlen gesprochen,
 Ebnnte auch nicht sagen, daß er um dieser Flucht mit gewußt, oder
 bey selbiger gegenwärtig gewesen. Quia autem contra ea pro de-
 nunciato militabat, quod ex depositionibus 1) testium contra
 eum productorum sola indicia et praesumptiones praeclucere
 non satis fundatae; 2) ipsi testes mox de auditu deponerent,
 mox variarent; et praeterea 3) ipsi correi essent principales con-
 tra quorum vnam praeterea, 4) suspicio inimicitiae contra
 denunciatum militaret propter neglectum sponsaliorum antea
 ad minimum secundum eius mentem promissorum; 5) accede-
 ret testimonium alterius cuiusdam testis contra denunciatum
 producti, daß Denunciat, so lange er sich bey ihm aufgehalten
 sich wohl aufgeführt, und treu gedienet; et denique 6) litterae,
 quibus eius nomen subscriptum erat, a denunciato non re-
 cognoscerentur, sed denegarentur, hinc adminiculans quidem
 argumentum producerent, non autem ipsam probationem
 criminis inuoluerent, et 7) omnia haec indicia ita essent qua-
 lificata, vt in respectu ad crimen imputatum subsidiaria
 verita-



veritatem eruendi remedia locum non inuenirent. Hinc per sententiam iuramentum purgatorium iniungebatur, contra quam appellationem interponebat denunciatus magistratus, inter alia argumenta et hoc vrgens, quod, licet alias per priuilegium appellatio locum non inueniret in criminalibus, hier doch in primis instantiis auf ein Purgatorium erkannt, davon aber nachhero, quia de interesse priuato denunciantis, intuitu damni reparandi, concurrente sermo, appellando provociret worden. Ponamus iraque appellationem interpositam admissibilem tunc fuisse. Certo certius hoc in casu ipsa causa criminalis, contra tenorem priuilegii magistratus inquirentis concessi, ad iudicia deuoluta fuisset superiora, intuitu causarum criminalium huius ciuitatis per tenorem priuilegii incompetencia. Et remedia vi ipsius priuilegii in criminalibus, loco appellationis, substituta, si laesio forsitan adesset intuitu interesse priuati denunciantis, eodem facili, immo faciliiori modo, seruare poterant iura denunciantis. Vnde et *ab ampliss. facult. inuid* magistratui inquirenti, appellationi interpositae contradicenti, ad requisitionem factam respondebatur d. 23. Maii 1760. daß in Beyhalt derer Acten dieser oberschwebende Fall, in Rücksicht der deutlichen Disposition des angezogenen Erb-Vertrages für schlechthin inappellabel um so mehr zu achten, als in sententia eine bloße, auf das purgatorium gehende, interlocutorische Verordnung, enthalten ist.

E

§. XX,



§. XX.

Sufficiant haecce de indole ac natura processus mixti, seu denunciatorii, haecenus pro ingenii modulo exposita, quibus hoc vnicum addo, quod scilicet abolitio criminis, sicuti in genere, ita in hoc mixto processu, gratia principis concessa, ad causam civilem, et interesse priuarum plane non pertineat, *KRESS. in Comment. Art. 15. C. C. C.* sed potius ea non obstante modus agendi ciuilis a denunciante continuari possit. Magis exafciatam elaborationem eius, cuius eruditio feliciori nititur minerua, hanc materiam mereri, nullus nego. Sed fatis mihi erit, me exercitationis causa periculum fecisse, quod si non omni b. L. approbatione destituatur contentus manebo.

TANTVM.



PRAE-

PRAENOBILISSIME
ATQVE DOCTISSIME DOMINE
DOCTORANDE,
FAVOR ATQVE AMICE
AESTVMATISSIME, MELLITISSIMEQVE.

Tertius in ordine es, AMICE SVAVISSIME,
qui ex meis olim commensalibus hac in ca-
thedra academica, exantlato, summa cum laude, exa-
mine riguroso, sub meo praesidio dissertationem suam
defendit inauguralem, et thiamam, me decano, ambit
doctorem. Laeto animo accipi TVVM hocce propo-
situm, qui ex antecedentibus annis de TVIS pro-
fectibus

fectibus in castris legalibus propria certus eram experientia. Accedebat porro omnium, in subsequenti-
bus annis scholas salanas tecum frequentantium, unanime testimonium de continuatione indefessi TVI fer-
voris in studiis excolendis, cuius veritas fundata doctis TVIS corroborabatur, atque solidis respon-
sionibus, quibus quaestiones examinis caussa propositas erudite resolvebas. Nec spes me fefellit, quam de
futura TVA solida elaboratione speciminis inaugura-
lis conceperam. Thema a me suppeditatum, AMICE
SVAVISSIME, solide satis elaborasti, ita ut non
nisi pauca mihi monenda erant, quod publice pro-
fiteor. Intra igitur quoque, CONIVNCTISSIME
DOMINE HANSEN, iam cancellos, et praesta
TE virum in publice defendendis TVIS laboribus
contra dubia TIBI mota et mouenda, quo specimen
eo magis publice extans sit TVAE eruditionis,
sedulo

*sedulo opere atque feruore studiis incumbendi com-
paratae, atque acquisitae. Gratulor TIBI non
solum labores summa cum laude iam exantlatos, sed
eodem iure, et maxima cum ratione TIBI quoque
simul gratulor glorificum praeconium, TE ex docta
dissertationis defensione expectans. Macte! Perge,
AMICE SVAVISSIME, in hac indefessa
litterarum cultura, et honores TE magis magisque
indies expectabunt satis promeriti. Idque imprimis
ea quoque ex ratione, quia cum scientiarum cultura
semper coniunxisti debitam SUMMO NUMINI
pietatem et reuerentiam, ac indelassatam morum li-
mam. Merito hinc etiam GRAVISSIMIS AT-
QUE SPLENDIDIS TVIS ADSCEN-
DENTIBVS, AMICIS ATQVE FAV-
TORIBVS MEIS HONORATISSIMIS,
gratulor descendentem, cuius opima messis in herba*

est,

*est, quique se dignum praestat spe in se collocata,
Faxit summum numen, ut et TVA omnia futura
incepta TIBI cedant feliciter in posterum, in sui
nominis gloriam, et reipublicae tam civilis, quam
litterariae commodum. Valeas AMICE SVAVIS-
SIME, et fauori TVO ac amicitiae, sicuti olim, ita
et in posterum me, meosque commendatos velis habere,
id est, quod enixe rogo, petoque.*

Scrib. Rostoch. d. 11. Aug. A. O. R.

MDCCLX,


HERM. BECKER Dr.
PRAES. ATQVE DECAN.

Rostock, Diss., 1759-76

X 228 42 89







9
Pr. 37. num. 8
8
17607.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
DE
TERTIA SPECIE PROCESSVS,
MIXTI SC., SEV DENVNCIATORII,
EIVSQUE INDOLE, ET DIFFERENTIA,
A
PROCESSV TAM CIVILI, QVAM
CRIMINALI.

9. 504.

QVAM,
IEHOVA ADSISTENTE,
EX DECRETO,
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,
IN ACADEMIA PATRIA,
SVB PRAESIDIO,
VIRI PRAENOBILISSIMI ATQVE
CONSULTISSIMI,
HERMANNI BECKERI,

L. L. DOCT. ET PROFESSORIS INSTIT. P. O. SENAT. ET
AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE
H. T. DECANI,
FAVTOVIS ET OLIM PRAECEPTORIS SVI OMNI, QVA
PAR EST OBSERVANTIA DEVENERANDI,

PRO
SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME
CONSEQVENDIS,

MDCCLX. DIE XII. AVGVST.

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

HENRICVS GEORGIVS HANSEN,

GVSTRO-MEGAPOLIT.

L. L. CANDID.

ROSTOCHII,

TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SER. DVC. AVL. ET ACAD. TYPOG.

